
326

G. Noodt.

B
110

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

326 B 110
KW

GERARDI NOODT
JVRISCONSVLTI
ORATIO
DE
CAVSSIS CORRVPTAE JVRISPRVDENTIAE
ULTRAJECTI ad RHENUM
pro concione dicta
QUUM
Ordinariam Juris Profeſſionem auſpicaretur

A. D. XII. Februarii A. MDCLXXXIV.



Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ *FRANCISCI HALMA*, Academiæ Typographi Ordinarii, *Anno* 1684.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

GERARDI NOODT

JURISCONSULTI

ORATIO

DE

CAUSSIS CORRUPTÆ JURISPRUDENTIÆ.

ILLUSTRES ET PRÆPOTENTES ULTRAJECTINÆ PROVINCIÆ ORDINES.
HUJUS URBIS SPLENDIDISSIME ET GENEROSISSIME PRÆTOR.
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, ET PRUDENTISSIMI CONSULES, ET SENATORES, HUJUS ACADEMIÆ CURATORES.
CURIÆ PROVINCIALIS SENATORES GRAVISSIMI.
MAGNIFICE RECTOR.
CÆTERI DIVINARUM ET HUMANARUM RERUM CLARISSIMI ATQUE ERUDITISSIMI PROFESSORES.
REVERENDI ET FACUNDISSIMI VERBI DIVINI PRÆCONES.
CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI, DOCTISSIMI QUALIUMCUMQUE ARTIUM DOCTORES AC MAGISTRI.
CIVES ET HOSPITES OMNIUM ORDINUM ET DIGNITATUM SPECTATISSIMI, ATQUE ORNATISSIMI.
TUQUE FLORENTISSIMA STUDIOSÆ JUVENTUTIS CORONA, AMOR, CURA, ET LABOR NOSTER.

NEſcio, qua re fiat, ut, qui hanc virtutis & honoris ſedem tantum quod aliqua cum fiducia conſcendi, ex templo horrorem ac metum

cunctos diffundi per artus, conſtantiæque meæ rigorem laxari, atque infringi ſentiam; Sive enim ad me, ſive ad vos ſpecto, equidem non animadverto cauſam tantæ, tamque ſubitæ perturbationis; Nam, cum jam diu ipſe unus ex togatorum numero fuerim, atque ex Academiarum uſu, in quibus Jurisprudentiam profeſſus ſum, publice ſæpius verba fecerim & hactenus mediocris, neque omnino rudis dicendi viſus ſim, ſaltem didicerim aciem atque adſpectum ſplendidi & frequentis concilii ſuſtinere, non potuit in tanta civitate & felicium ingeniorum copia ornatiſſimorum atque eruditiſſimorum hominum confluxus pro concione primum dicturo inſolens aut inexſpectatus accidere; &, cum nuper paribus Ampliſſimi hujus Ordinis ſuffragiis, & ex communi omnium voto ac deſiderio Anteceſſor deſignatus ſim, non debuit cum maxime auſpicanti hanc dignitatem terrori eſſe ipſa, qua motus Ultrajecto Friſiam mutavi, publici de me judicii conſcientia. Ego tamen quo hæc & quæ præterea mei honoris cauſa proximo quadriennio facta ſunt, mecum reputo, eo magis mens animi mei præſtringitur, minuſque officium ſuum lingua facere poteſt: Arguit enim ea publici erga me affectus conſtantia vos ſpem de me concepiſſe majorem aliquanto, quam mihi ipſe auſim, aut velim tribuere. Qua re quemadmodum pudorem meum onerari ſentio, ita prorſus video me hac hora in periculum deducere non hujus modo ſcenæ eventum, ſed omnis etiam fructum exiſtimationis, quam mihi qualicunque hactenus induſtria comparavi. Impetraveram ſane a judicio, an benevolentia populi Friſici illius generoſi, veramque virtutem & non ſimulatam ſapientiam ſuo pretio laudabili atque invidioſo exemplo æſtimantis, uti mea eſſe aliqua exiſtimaret ſpecimina. Cujus rei ego quæ

alia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

alia documenta adferam, quam prolixam voluntatem ac munificentiam, qua me, cum huc publice iterum invitatus ſum, iterum proſequutus eſt, etiam tertium, niſi jam gloria indolis veſtræ, & cœli, ſolique hujus ſitu, ingenio, amœnitate, atque elegantia incomparabili victum me ultro monuiſſem, proſequi voluit, perinde quaſi rebus didiciſſet poſſe opera mea inuſitati quidpiam ad egregium publicum adferri. Sed ille quod animi magnitudine & honeſta erga bonam mentem ambitione multis populis ſuperior, nullis inferior eſt, quidquid hominibus laudatis egregium, aut non pœnitendum videtur, id humanitate ſua, ac liberalitate non indignum arbitratur. Ego vero hanc utrum meruerim, an ſecus, non exſpectabitis, uti per me definiam, cui difficile ſit eorum detrahere auctoritati, quos comperi de me benigne ſenſiſſe, & inverecundem honorem admittere, cui parum ſufficiam. Quanquam utcunque erit, poterat hæc mihi in Friſiis qualiſcunque, at honeſte parta, opinio in his, quæ agerem, & animum addere, & ſecuritatem præſtare; Prorſus ut illic in parvo quidem oppido, ſed in inclyta magnanimæ Civitatis Academia mihi fortaſſis tutius fuiſſet hærere, quam hoc novo honoris proceſſu in Urbis Belgii Principis celebritate verſari, & ſub ſummorum hominum oculis novam, atque incertam famæ fortunam experiri: Utique quamvis fatear mihi jucundum pariter & glorioſum duorum illuſtrium de me populorum fuiſſe certamen, tamen quo hoc diligentius alter egit, uti me haberet, alter uti retineret, eo mihi in præſenti, ne res infra exſpectationem cadat, magis laborandum intelligam; & cum experiundo compertum ſit etiam ſummos viros ſæpe dicendi eventum fefelliſſe, non injuria, ne id mihi hodie in ampliſſimo hoc conventu accidat, ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

hementius extimeſcam. Verum jacta jam alea eſt, & quid ni ut Imperatori proxima quæque victoria, ita Profeſſori proximus quiſque honor ſequentis inſtrumentum ſit? Sed ego cum ad ingenia veſtra ſpecto, quæ ad literarum ſtudia inclinata habetis, cum ad affectum, quo hos paſſim excipitis, qui illas aut profitentur, aut ſectantur, cum ad ſingulorum vultus atque ora, in quibus vigorem mentium, alacritatemque lætam & faventem videre videor, eſt profecto, ut, quod apud Friſiam honoris & benevolentiæ habui, id apud vos inventurum ſperem, neque jam metuam, ne in hoc honoris mei ingreſſu de *cauſſis corruptæ jurisprudentiæ* pro tenuitate ingenii mei dicturum temere adſpernemini. Quanquam quæ elegantior, & inveſtigatu dignior quæſtio, quam illa, cur, ubi priora tempora nominibus tot excellentium JCtorum inclaruerunt, noſtrum potiſſimum obſcurum atque ignobile vix paucorum lumine & gloria illuſtretur. Adeo enim rara ſunt, quæ poſt memoriam noſtram cum notabili laude ab his profecta ſunt, aut tam aliena atque inania, ut appareat pleroſque nihil magis, quam hanc artem, quam profitentur, ignorare, &, quod doctiſſiſimo cuique, & regenda civitate principi propter ſingularem ejus æquitatem, variamque ſapientiam ante ſanctum & venerabile juris Romani nomen erat, cum maxime ſupervacuam, atque alienam ab omni non ſolum doctrina, atque elegantia, ſed a communi quoque uſu, ac vita ſubtilitatem præferre videatur. Si tamen publice placuit id in judiciis adhiberi, ſi in Academiis doceri, ſi in hoc tot ſeculorum fide & periculo velut commune gentium, nationumque jus obſtinate conſenſum eſt, dabitis majeſtati reipublicæ, & venerationi orbis, & temporum experimento, ut hanc artis noſtræ contumeliam non ejus ineptiæ, ſed inſcitiæ non

aſſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

aſſequentium imputetis, & quemadmodum legum vigor ad ſeculi ornamentum tranquillitatemque pertinet, ita earum ſcientiæ tanta ſive fortuna, ſive prudentia fuiſſe videatur, quanta fuit Æterna illa Urbs in tantis imperii finibus ac copiis non ſolum inveniendis, ſed etiam per tot ſecula retinendis. Atque ego cum ad populi Romani ortum, progreſſumque aliquando animum adjeci, & quare maxime imperium quæſiverit, repererit, habuerit, domi mecum reputavi, ſemper arbitratus ſum virtuti & fortunæ multum, ſed plus æquabilitati juris & ſeveritati debuiſſe, neque ex initiis tam anguſtis atque humilibus ad tantæ amplitudinis inſtar ulla re magis, quam legum excellentia & religione emicuiſſe: Si enim robur, ſi opes, ſi ingenia ejus conſiderem, tum quot & quas gentes pariter vicinas, atque inimicas invenerit, eum paucis viribus, paucis opibus priorem, nedum parem dixerim, inferiorem multis; Idem ſi mores, ſi fidem, ſi laborem conferam, pleriſque majorem domi, militiæque fuiſſe non temere conjiciam. Adeo facile arma valebant, ubi urbi, nec urbi tantum, ſed & caſtris diſciplina conſtaret, & utrimque tantum pudor, quantum virtus & fortuna exequeretur. Verum quo magis ea legum majeſtas declinavit, eo fortaſſe juſtior fuerit diſputatio, qua & cauſas tanti mali perveſtigare & his repertis tandem remedia circumſpicere poſſitis. Niſi veriſimile fit rerum naturam conſeneſcere aut hominum ingenia decoquere, & ad adquirendam artem, qua humanæ ſocietatis vincula continentur, hodie inidonea fieri. Sed quis id ſerio cenſeat, cum cæterarum artium quotidie nova, atque immania incrementa appareant? Date mihi veneranda illa rerum ſacrarum ſtudia, aut, ſi mavultis iſta, quibus rerum abdita & naturæ ſecreta inveſtigantur, ecquando occurrit ullum

ullum tempus, quo ea videri poſſunt ad illam perfectionis laudem adſcendiſſe, ad quam non credimus, ſed videmus egregiorum hominum ingenio, atque induſtria evaſiſſe. Jam ſi medicina, ſi matheſis, ſi pleræque aliæ longius progreſſæ ſunt, quam quo erudita, & ſedula potuit vetuſtas adſpirare, profecto quid eſt, cur una tam infelix habenda ſit civilis ſcientia, ut, cum natura cæteris ſufficiat, ipſi maligna, aut excuſanda videatur? Sed ego exiſtimo, ubi prioribus jus fuit vel ad hanc venire, ipſamque non a parte tantum iſta intueri, quæ vulgaris & publica eſt, ſed ad interiorem quoque illam & ſanctiorem cura atque induſtria perrumpere, nos, cum inde arcemur, non tam modo humani ingenii, quam ſtudii atque operæ prohiberi. Ea enim rerum humanarum ratio eſt, ut his artibus, quibus inventæ ſunt, facile retineantur; ſin earum pigeat, pleræque marceſcant ſenſim & corrumpantur. Adeo, quæ familiarum aut civitatum egregiæ celebrantur opes & copiæ, hæ quo minus ſtent aut cadant, quid præter diſciplinam efficit? At quid ni ut harum, ita artium fortunæ cum utentium moribus varientur, &, quem in noſtra torporem, atque oſcitantiam experimur, hic a priſtinæ ſeveritatis ſive ignorantia ſive negligentia proficiſci putetur? Denique ſi quis eadem aut pari animi contentione ac via, qua non modo priſcis temporibus, ſed & ſuperiori præſertim ſeculo graſſati ſunt egregii homines, ad illius perfectionem enitatur, huic, quod ad ſummam ſcientiam pertineat, & homine in foro excellente, aut in republica principe dignum, nihil magnopere defuturum videatur? Fugit enim vos ratio, Auditores, ſi eos vulgaria cogitaſſe exiſtimatis, aut circa ima ſubſtitiſſe, ſi in legibus ſaltem verborum aut literarum calumniis adquieviſſe, ſi id egiſſe, uti aliquem exprime-
rent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

rent non re, ſed nomine prudentem. Non ita eſt; ſed ſedebat illis ut in vita, ita in hac civili ſcientia parum ſublimia aſſequi, qui tantum humilia cogitant, aut illorum præſumpta deſperatione ſtatim in plano morantur. Igitur ex ſummis opibus & præclaram ſcientiam & perfectum juſtitiæ ſacerdotem requirebant, qui non tam legum memoriam, quam intelligentiam, neque tam artis præcepta, quam omnem doctrinæ ambitum, ſapientiamque circumferret. Itaque hercle illi ſeſe ſtudebant & dialecticam, & humanitatis officia ac gradus, & vitiorum virtutumque momenta ac cauſſas cognoſcere, etiam literas politiores atque antiquiores explorare Latinique ſermonis originem, uſum, ac proprietatem, tum principis populi vitam, mores, ingenia, atque ætates, quibus creviſſe, quibus adoleviſſe, & poſtremo eo magnitudinis ſurrexiſſe videretur, ut prope mole laboraret ſua, propriiſque tandem viribus conſumeretur, memoria, atque animo complecti. His illi neceſſe eſſe arbitrabantur, qui vere, atque ad publicam utilitatem pro dignitate profeſſionis reſponſurus eſſet de vetuſtis legibus, in quibus jam temporum injuria antiquos mores voceſque ſæpe deleverat, aut inumbraverat, quibus tamen moribus, vocibuſque æquitas, id eſt, legum vis, ac poteſtas contineri & prodi videbatur. Atque ad illam tam variam, amplamque omnium rerum ſcientiam ubi deinde uſum atque exercitationem adjiciebant, profecto qui fieri potuit, ut ne inde admirabilis & invidioſa exundaret ſapientia, qua in republica felicis ſeculi luxuria coërceri, & ſæpe impotentis fortunæ impetus retundi atque infringi potuit? His ſane artibus & ſtudiis fretus Antiſtius Labeo ille Proculianorum ſectæ auctor & princeps quæ non tentavit, quæ non effecit, quæ ſecus accepta non innovavit, quæ invia aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

inexplicabilia non perrupit aut expoſuit ? Quid ? Salvius Julianus ille ætate ſua ſapientiſſimus , & inter tot nobiles , atque egregios homines unus digniſſimus , cui edicti perpetui compoſitio , emendatioque commendaretur , ille , inquam vir , auſus ne fuiſſet non ſolum tantæ vetuſtati , ſed & ingeniis , ac diligentiæ Servii , Ofilii , ac Labeonis , qui jam idem vel ſimile tentaverant , detrahere aut addere, niſi ei longus uſus , & immenſa antiquarum novarumque rerum & verborum doctrina fiduciam feciſſent conſummandi difficillimi quidem , ſed utiliſſimi pariter , ac pulcherrimi operis ? Jam quibus artibus tibi impetraſſe videtur aut vir ſanctiſſimus & juris religioſiſſimus Æmilius Papinianus Præfectus prætorio , uti in jure civili deus haberetur , & æternitati feriis anniverſariis conſecraretur , ab eoque ſtudioſi juvenes tertio laborum anno Papinianiſtæ appellarentur , aut ejus auditor Domitius Ulpianus , cujus excellentiſſimi hominis etiam in conviviis , in balneis , in ambulationibus eruditi ſermones , & eximiæ verborum obſervationes laudantur , uti Principis Romani , ſed optimi & nomine ac re Severi Alexandri cum aſſeſſor , tum tutor haberetur , & ad prætorii præfecturam evectus ſumma cum æquitate , prudentia , atque integritate late patentis imperii , at Heliogabali hominis monſtroſi ſocordia ac turpitudine , non dicam labentis , ſed jam præcipitis pondus ſuſtineret , & nova an vetere diſciplina firmaret , aut reſtitueret , itaque Alexander , quod Ulpiani uteretur conſilio , ſummus imperator diceretur ? Sed ego quoties aut viri illius , aut cæterorum fragmenta legi , toties quid in his primum , quid poſtremum , quid minus , quid plus admirarer , non inveni : Sive enim in ſtilo elegantiam , puritatem , facilitatem , dignitatem quærebam , profecto quid poterat elegantius , purius , gra-

vius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

vius haberi? Sive in interpretando, diſputandoque diligentiam, ſubtiliratem, humanitatem, doctrinam, prudentiam conſiderabam, prorſus dubius eram, qua virtute ac facultate tanti viri & tot negotiis impliciti potiſſimum valuiſſe viderentur; Adeo neque judicio atque acumini doctrina neque doctrinæ juſtitia aut rerum providentia, neque his omnibus cura ac diligentia cedebat. Poſtremo quid diſſimulem mihi hos prope de cœlo demiſſos videri, qui publici, privatique juris ſive cuſtodes, ſive conditores eſſent, &, quod boni viri eſt, humana juſte ac ſapienter flecterent, divina non deſererent. Habetis, Auditores, tenorem ejus diſciplinæ, qua veteres ad tantam ſapientiæ gloriam evaſerunt, ad quam ſi minus accedimus, non rerum, ſed noſtrum vitium eſt: Quotus enim quiſque eſt, qui ad civilem prudentiam illam aut teneat viam, aut illo impetu & perſeverantia feratur? Imo quotus quiſque, ut ea potiatur, huc demittere velit tanti, tamque obſtinati laboris patientiam? Olim illa Diva ubi omnium oculis atque animis auguſta & magnifica repreſentabatur, & non ſolum civibus ſuis domi velut ex oraculo reſpondere, aut in foro cum admiratione adeſſe, ſed & judiciis aut tribunalibus cum dignitate adſidere aut præſidere, & in ſenatu, ac principum conſiſtoriis quanta cum majeſtate non de urbis aut provinciæ, ſed totius imperii publico ac privato jure, id eſt, de generis humani ſalute cenſere & decernere intelligebatur, itaque non minus, quam majorum imagines aut curules geſti magiſtratus cuiquam eſſe ornamento credebatur, facile optimum quemque ac gloriæ maxime ſtudioſum detinebat, & ad venerationem ſui cultumque accendebat. At nunc eadem ubi deformis., inops, nuda, & fere pannis, anniſque obſita non tantum non veterem dignitatem, ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

ne ingenuitatem quidem ſatis tuetur, & ad quotidianas capturas prope proſtituitur, quid mirum, ſi æque bonis ſordet, atque ignavis, magiſque appellanda quam matronali honore & affectu ambienda, atque amanda videtur? Igitur ego hanc corruptæ juriſprudentiæ primam ac præcipuam cauſſam eſſe cenſeo, quod omnes ſordidam putant & humilem, jurisconſultique ampliſſimo nomine non illum divinarum, humanarumque rerum vere ſapientem, & publicis, privatiſque negotiis gerendis utilem, atque accomodatum, qui incerta conſiliis regere, qui oppreſſa judiciis tueri, qui detorta legibus emendare poſſit, ſed cauſſidicum, neſcio quem, aut forenſem operarium deſignari, cui ex tenui ſcientia non virtutis atque honoris, ſed ſtipis vilis fructus, finiſve proponitur. Plane ut nil mirum ſit, ſi hi ad juriſprudentiam quaſi ad artificium aliquod ſordidum atque illiberale accedant, neque eam, velut ſi publicæ & pro hominum ingeniis ac temporum occaſionibus mutabilis & variæ utilitatis intelligentiam habeat, per ætates atque incrementa diſtinguant, ſed velut fungum una, aut altera nocte natum intueantur, neque ante, quam audituri populi Romani leges, animum & pectus ſapientiæ atque humanitatis ſtudiis impleant, neque in principis urbis privatos, publicoſque mores, neque in ſermonis uſum, ac proprietatem ediſcendam vel tantillum olei impendant, ſed quemadmodum ad has illoti prorſus atque inculti accedunt, ita ſe valde eruditos, beatoſque exiſtiment, ſi quod ex his, quæ brevia venditantur, artis compendia vix comprehenderint, & definitionum, ac partitionum, actionumque ſollennia carmina tantum memoriæ mandaverint, artemque omnium principem, & late diffuſam in anguſtas tabellas, paucaſque & ſæpe ineptas quæſtiones coarctaverint. Interim ſi

quid

quid non publici ſit ſaporis , ſi ſiglorum , & notarum ænigmata, quibus centones ſuos etſi deſcribi vetuit Juſtinianus , tamen ſcriptos conſtat , non , aut ſecus intellecta emendet , aut exponat , ſi interpunctiones veteribus parum uſitatas , & nuper a male doctis librariis , ſed interdum male profectas interpolet , ſi gloſſas , ſi varias lectiones , quæ in contextum ſæpe aut vi , aut clam , aut precario irrepſerunt , velut interdicto de injuſta poſſeſſione dejiciat , ſi lacunas , quæ longa ætas , quæ compilatorum incuria , aut librariorum imperitia fecit , prolatis membranis aut auctorum , reſcriptorumve integris locis ſuppleat , atque adducat , ſi porro luxata reſtituat , ſi vitiata atque infecta detergeat ac ſanet , ſi obſcura illuſtret , & in his errantibus viam comiter monſtret , ſi leges , moreſque Romanos potius Romanis , quam , neſcio , quibus Gothicis & barbaris moribus ac verbis interpretetur , ſi totam Pandectarum compagem ac fabricam contempletur , tum unde & quemadmodum hæ collectæ , ac conſarcinatæ ſint , animadvertat , hinc viam inveniat , qua leges & plebiſcita , qua ſenatusconſulta , qua actionum formulæ concinnari , & his veterum , quæ velut præclaras tabulas ex incendio , aut naufragio habemus , ſive fragmenta , ſive commentaria aptari , fugitiva inſcriptionum indicio detegi & retrahi , lociſque ſuis atque edictis reddi , qua denique hæc civilis , quæ dicitur , prudentia ratione procedere , & leges jure , non nugis & prope nebulis in pariete pictis gubernari poſſint , omne id anxiæ , ac pœne nimiæ , an ſtultæ diligentiæ eſſe opinantur , ſane ut ad verum admoveatut , tamen neque tutum videri , neque uſu venire , & dediſcendum eſſe , ſimul ex umbra in ſolem , & pulverem , atque adeo in ipſam aciem deſcendendum , ibi moribus ſeculi , & novo , atque ante inviſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

ſo orbe utendum ſit ; perinde quaſi aut tutum ſit , quod verum non eſt , aut quod pro jure ſcripto obſervatur , id recte intelligi inutile ſit , aut tantum inſulſa & inepta uſu placere atque obtinere poſſint. Clara quidem hæc & certa ; verum multi aut inertia , aut ignorantia , aut ſpe mercedis , & ambitione frequentis auditorii adeo transverſi aguntur , ut nihil penſi habeant cum auditoribus ſuis conſimiles quotidie fabulas miſcere , hiſque ignaviæ ac deſidiæ illecebris animos juvenili credulitate fluxos , atque obnoxios circumvenire , ac corrumpere , itaque & pulcherrimam artem ſubvertere , & parentum vota , & reipublicæ ſubſidia fruſtrari. Ea ſane verborum ſpecie ac fraude quid efficiunt , niſi ut juvenes alioquin egregiæ ſpei atque indolis, dum in Academiis neque ipſas leges veteres audiunt , neque bonos auctores evolvunt , neque per ſtudiorum gradus ad præclara quæque & ſublimia educuntur , neque ad verum , atque honeſtum laborem exercentur , ætatem ſtudiis aptam ac devotam fere luxu aut otio conſumant , & deinde ex his ſpatiis egreſſi & jam ſui juris facti in ea , quæ ante non audiverunt , aut legerunt , inquirendi neque libidinem habeant , neque copiam ; adeo ad ſenectutem præter ſtultitiam ac pœnitentiam nihil præcipuum adferant. Atque hic ſive ignavus , ſive ſordidus , & ad ſtipem tam turpiter demiſſus animus (ſi Diis placet) humanitatis memoria , & infirmitatis prætextu tegitur. Quid enim frequentius auditur , quam viam illam veterem ac regiam aſperam ac præruptam , etiam obſcuram & multis anfractibus detortam , eoque longam ac moleſtam eſſe , illam a paucis , quanquam ſedulis atque ingenioſis vix multa lucubratione , & immenſo labore vinci ; Hanc autem compendiariam , planam , ſimplicem , rectam omnibus patere , ac ne ſegnibus quidem & væcordi-

bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

bus inviam, aut inſuperabilem eſſe. Jam, quo brevior vita, eo magis feſtinanda ſtudia, ut fructus percipiatur, quoque plures laborem & tempus ingenii tarditate, aut libidine perdunt, eo clarius intelligi in modicis & ſimpliciſſimis tutiſſime conſiſti, & his ad juriſprudentiam cum breviſſime, tum certiſſime perveniri. Sed, per Deum immortalem, vos ego appello, qui ſic ſentitis, quando tam male de hominibus meruit natura, ut in tam multa & præclara natis ingenium, quo ea aſſequantur, denegaſſe videatur. Numquid ea ut avibus celeritatem, canibus odorem, lupis ſævitiam, ita nobis mentis & rationis ſolertiam indulſit? Ac, ſi rem putatis, quid inter homines tam æqualiter diſtributum eſt, quam bona mens? Utique plures ubi adoleverint paulum, ad rogandum faciles videatis, & ad diſcendum avidos, atque idoneos & in ipſis paſſim infantibus divini ſpiritus ſcintillæ, & velut conamina emicant; ea vero ſi paulatim extinguuntur, cedo, quid certius eſt, quam in his culturam, non naturam peccaſſe? Sed ego hanc culpa abſolvo, Auditores, & ſtultos, aut ineptos, perinde ut inſignes ad deformitatem, præter hominis naturam naſci interpretor, ac, ſi laborum gradus fiant, & quod luxuriæ, & rebus inanibus ſæpe datur tempus, id civili prudentiæ impendatur, in ea nihil fore, quod non hominum ferant humeri, & virtute duce generoſa indoles profliget. Sunt tamen, inquit aliquis, qui naufragium faciant. Verum quid poſtea? Ideone tibi, quiſquis es, deſerenda bona mens videtur, quia labore, ſed non ab omnibus adquiritur? Non dices, cenſeo; nam & culturæ interdum meſſis non reſpondet & navigantis ſpem tempeſtas interpellat: quis tamen ideo aut agros ſuos negligendos, aut rei maritimæ minus ſtudendum putat in eo mari, in

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

quo frequentes, atque improviſæ tempeſtates naufragium pariunt? Atque ut in iſtis, ſic in hoc animi cultu dicendum non ideo quenquam abſterreri oportere, ſi quem forte ex his, qui ad veram juriſprudentiam virtutis via graſſati ſunt, ſpe ſua excidiſſe dicantur. Etſi puto hos paucos aut nullos fuiſſe; plures ſane præclaram ea ſcientiam obtinuiſſe, quam qui vulgarem & compendiariam iniere, qui mihi etiam tum, cum in portum ſuum pervenere, ac ſperata aſſequuti ſunt, tantum quia tenuia & vilia habent, naufragium feciſſe videntur; cum is, qui ſumma petit, ſi ad ea venit, nil ſuperius habere poſſit, ſi non venit, tamen, ſi ad ſecunda admittitur, ſummis proxima adipiſcatur. Adeo multum refert in hoc ſapientiæ ſtudio, utram viam ingrediare, nec tam quærendum videtur, a quibus, & quanta opera ſuperetur, quam quo uſque egrediatur. Quanquam, ne ipſa quidem hæc, quæ vetus & regia via eſt, tam difficilis, aut præceps eſt, quam imperitis & procul contuentibus videtur; ſed quemadmodum quis ſi montem, ita ſi illam e longinquo proſpicit, oculorum errore, atque infirmitate omnia ſe abrupta & præcipitia videre exiſtimat, quo autem propius admovetur, hoc magis ei, quæ locorum ſpatia atque intervalla ante confundebant, diſtinguuntur, quæque ardui præferebant imaginem, erigunt lenes & faciles clivi, in quos ubi ſenſim, ac velut de gradu in gradum aſcenderit, dici non poteſt, quam jucundum ſit inde auguſtam & longe lateque patentem ſapientiam, ſed jam planam atque apertam, & ultro oculis ejus atque animo ſe ingerentem, neque tenebris, aut nebulis involutam, ac circumfuſam contemplari, ſimul ſumma cum utilitate admirari, quam fere omnes gentes una naturæ lex & æterna & immutabilis agat, civilia autem jura

ra paſſim diverſa, ſæpe & contraria ſcribantur, neque valde uno ſtatu conſiſtant, ſed fere ut facies cœli ac maris, ita rerum ac fortunæ tempeſtatibus mutentur. Sane quam jucundum illi duodecim tabulas & in his leges regias ſpeculari breves quidem illas & duras & plenas antiquæ ſeveritatis, ſed in magna populi paupertate, & adhuc integris atque incorruptis moribus prudentiſſime latas ac ſcriptas? Quam jucundum eas videre deinde aliis, atque aliis legibus abrogari, reſtitui, abſorberi? Quam jucundum ex his velut fontibus & rivulis eludentem cernere fori diſputationem, non iſtam imperitorum, atque ineptorum hominum, neque hanc hodie aut heri in academiis acuendæ impudentiæ & corrumpendæ juriſprudentiæ natam, in qua ut olim in Rhetorum ſcholis non veterani, ſed tirones, quibus ſæpe neque per ætatem verecundia, neque rerum, aut verborum adhuc peritia eſt, cum omnia inani clamore implent, liquido jurare poſſint ipſos, quæ cum impetu effundunt, ea minime intelligere; ſed fori diſputationem juſtam, ac legitimam, in qua Ælii, Claudii, Porcii, Bruti Mucii, Aquilii, Sulpicii, Antiſtii, Ateji, Caſſii, Proculi, Sabini & reliqua illa felicia & ſeculis veneranda nomina regulas juris definiunt, quibus, ut Prætores annuis ſuis edictis, ſed mitibus, ſed popularibus, ſed utilibus, ſic ipſi legum ambiguitatem interpretantur, anguſtias ampliant, latitudinem reſtringunt, duritiem molliunt, etiam ipſas verborum fictione atque imagine magis eludunt, quam mutant, efficiuntque, ut eas aucto imperio, auctiſque opibus, & cum his inducta luxuria pati potuerint mollia & felicia tempora. Longum foret, ſi ſingula exequerer, in quibus animus veteri inſtructus ritu ſumma cum voluptate exſpatiari poteſt. Itaque jam nihil de legis actionibus, nihil de ſe-

natuſconſultis, nihil de Principum conſtitutionibus dicam; ſive edicta velis, ſive decreta, ſive ſubſcriptiones, & epiſtolas, in quorum poteſtatem poſt Gordianum ſublata fere aut neglecta fori diſputatione omnis juriſprudentia conceſſit, quibus tamen Pandectarum tempore adeo nondum obnoxiam fuiſſe comperias, quin ea tum reſcripta, ac decreta, niſi uſu firmata eſſent, etſi pro exemplis haberentur, tamen ſæpe improbarentur, legumque vim & auctoritatem non haberent. Sed de veteris diſciplinæ ſive amœnitate, ſive facilitate ſatis. Adhuc metus eſt, Auditores, ne ejus longior via ſit, & in iſta vitæ brevitate feſtinanda ſtudia videantur. Scilicet fallit vos ambiguitas vocabuli; quæ feſtinatio dicitur, ea mora eſt, &, quod compendium vocatur, ſapientiæ damnum eſt. Jam plerique ubi tempus, vires, ingenium libidine aut ſocordia conſumunt, brevemque non inveniunt vitam, ſed faciunt, de communi fragilitate queruntur, & hominum vitium negotiis, aut humanitati imputant. Quod ſi his bonæ mentis tantum ſtudium eſſet, quanto vana, ſæpe & noxia ſectantur, profecto & ſatis ſibi vitæ ſupereſſe experirentur, neque ſe rerum multitudine ac difficultate opprimi ac detineri quererentur; Nunc autem ubi corpori indulgent, animi cultum, negligunt, &, quæ ſapientiæ circumſcriptio, atque imminutio eſt, hanc feſtinationem indigitant. Sed enim ut prima corporum lineamenta rudi penicillo adumbrare non eſt pictorem eſſe, aut primas literas intelligere non eſt doctum ac literatum eſſe, ita abſit, ut, qui prima tantum juris incunabula retinet, mihi juriſconſultus videatur. Scio hæc neceſſaria eſſe ad alia ituris; verum & literæ ſunt; ut tamen harum peritiæ non adquieſcit, qui ſapientiam affectat, ita nolim juris Studioſus ejus Inſtitutionibus aut ſimilibus artis compen-

diis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

diis ſatis ſe inſtructum arbitretur. Plane illa ſi tantopere expetat, privatim legat, & habeat, ad quæ tanquam ad fixum & certum ſydus in vaſto mari curſum regat; Anteſſores autem publice, privatimque altius ſpirent, & poſitis his in Inſtitutionum enarratione totius operis ſive oſſibus, ſive membris, poſt deinde apta & diligenti & accurata Pandectarum & Codicis interpretatione tanquam nervis ac thoris maſculum illum prudentiæ vigorem conſtringant pariter atque intendant. Sed quid diſſimulem, Auditores? Quia pleroſque pœnituit tam præſtantis diſciplinæ, ea re anguſtiis incluſa Juriſprudentia eſt, ex quibus quid ipſi quid tot eximiis legibus deinceps futurum arbitramini? Atque utinam exempla deeſſent huic tam juſto metui! Verum in omnium non manibus, ſed oculis Titus Livius, etiam Dion Caſſius verſatur florentiſſimus uterque auctor, ſed lacer, ſed hiulcus, ſed quota ſui parte truncatus. Quid autem illum imminuit præter Annæi Flori, quid iſtum præter Xiphilini epitomen? Jam ſi Polybium, ſi Trogum Pompejum, ſi alios non excerpſiſſent, aut contraxiſſent ſtudioſi homines, fortaſſis integris uteremur, neque in antiquarum rerum memoria tantus hiatus pateret. Ac ne hiſtoriam tantum ad teſtimonium vocem, eloquentam videamus, quid eam perdidit? Nonne compendiaria? Nempe ubi declamare cœperunt juvenes, antequam vocabula inveniſſent, quibus deberent loqui, tantum loquentia facta eſt. Quid multa? Ipſum Julianum, Paulum, Ulpianum, Papinianum, & ut abſolvam, veterem Juriſprudentiam quid abſtulit, aut accîdit? Nonne compendiaria? Non inficior, Juſtiniane ſacratiſſime Princeps, multum tibi debere terrarum orbem, cui divinorum hominum tot præclara fragmenta reliquiſti, & antiquam ſapientiam laudabili conſilio commendaſti,

ſed

Compendia

ſed, pace tua dixiſſe liceat, tu ipſorum opera, quæ ætate tua extabant, non dicam corrupiſti, id enim crudele foret, ſed tamen tu corrupiſti, quia corrumpi paſſus es. Utique ubi ex his paucos flores decerpſiſti, quos in academiis prælegi, quos in judiciis allegari, & pro juris ac vitæ regula haberi atque obſervari voluiſti, ipſa obliterata ſunt. Quæ ſi extarent, quantum ad rem literariam conferrent, quantum ad publicam, quis ignorare poteſt, qui intelligit, quantum potuerint erudita præſtare ingenia, poſtquam illa Theodoſiani codicis, illa legum collationis, quæ Licinii Rufini dicitur, illa Ulpiani, Pauli, & Gaji fragmenta reperta & luci reſtituta ſunt. Sed neſcio, quemadmodum ad hæc delapſa ſit oratio mea, quæ fortaſſis & ingrata vobis & inania videbuntur. Huc tamen pertinent, Auditores, uti veras corruptæ juriſprudentiæ cauſſas intelligatis, ſimul quibus viris ea inventa, atque ad illam magnitudinem evecta eſt, his & florentem facile retineri, & amiſſam reſtitui poſſe, poſtremo, ut, quæ ex illis reliqua fecit longa vetuſtas, ea univerſa diligenter ſervanda, &, cum licet, adhibenda eſſe, hæc arti dignitatem, hæc vobis, Studioſi Juvenes, eruditionem & gloriam addere exiſtimetis. Quare agite, & hanc tenete, quæ vetus & regia via eſt, quam olim Antiſtii, Juliani, Pomponii, Papiniani, Ulpiani, Pauli, cæteraque antiquæ prudentiæ lumina, hoc autem & ſuperiori præſertim ſeculo Budæi, Alciati, Duareni, Hottomanni, Gotofredi, Giſanii, Donnelli, &, ut omnia dicam, Cujacii ingreſſi ſunt. Quod ſi enim exemplis utendum eſt, quibus potius, quam his, utar, quorum ingenia atque immortalis fama omnem jam non laudem exhauſiſſe, ſed invidiam ſuperaſſe videtur. Quod ſi ea magis ex hac vita petitis, quæ civilis & negotioſa appellatur, foret mihi magna

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

magna copia etiam eos memorandi, quorum doctrinæ ſtudiis vel illa nobilitata, atque illuſtrata eſt. Sed abuterer patientia tam frequentis atque illuſtris concionis, & jam longior facta oratio eſt, quam initio volui. Non poſſum tamen, Nobiliſſimi Juvenes, quin vobis Antonium allegem Fabrum Sabaudum, & Viglium Zuichemum Aitanum, quorum ſi magis veram, quam fucatam eruditionem, ſi in academia, in foro, in republica principatum intellexiſtis, ſat ſcio, eos ridebitis, qui cum veteri, cumque ea, quæ ſuperiori ævo & hujus initio viguit, præſentem ac languentem juriſprudentiam comparabunt, aut magnis hominibus modicam juris Romani intelligentiam ſuffeciſſe, excellentem nocuiſſe, aut moleſtam fuiſſe proteſtantur. Sed juvet imperitiam prætextus, hoc tamen nunquam obtinebit regnum, ut, quæ excuſanda fecerit, ea & laudabilia faciat. Proinde agite, ſi viri eſtis, & in hanc artem incumbite, qua præclaris ingeniis ſemper licuit, & adhuc licet ad præſtantis fortunæ cultum adſpirare. Agite & feſtinate, non quidem ut civili ſcientiæ fibulam imponatis, ſed ut multo uſu, atque indefeſſo labore ac ſtudio vobis materiem comparetis eximii publice, privatimque decoris, ſimul his vitæ brevitatem, ſi quæ alioquin ſapientiam aut prudentiam circumſcribere videtur, longam ac diuturnam faciatis. Atque ego cum vos, cum hanc Academiam, cum hanc Urbem cogito, magna mihi ſpes eſt hujus togatæ militiæ. Quid enim non poterit illa ætas, atque is vigor veſter præſertim illis in foro & republica, id eſt, in ipſo juſtitiæ, imperii, & gloriæ domicilio non modo præmiis, ſed & exemplis atque incitamentis? Quid porro his Collegis meis veſtris in Academia ducibus, quam eruditiſſimis, tam clariſſimis, quibus certum eſt iter vobis ad veram virtutem ac ſapientiam &

aperire & apertam indicare, ac velut juſtos milites omnibus inſtructos armis in caſtra, ſic vos omnibus armatos artibus ad forum ac rempublicam mittere. Inter quos ſi vel mea vobis aliqualis opera videbitur, hercle me vel Antecesſore vel amico utemini, & ſi pleriſque forte ingenio aut eruditione concedam, certe a nullo induſtria aut vos adjuvandi ſtudio ſuperabor. Denique ſi hoc meo auſpicali die futuræ militiæ ſive faciem ſive conditionem ſcire ac quodammodo videre poſtulatis, exemplo Septimii Severi morientis quidem, ſed fortiſſimi & ſtrenuiſſimi Imperatoris hoc vobis ſignum dabo, LABOREMUS.

DIXI.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

EGREGIO VIRO

GERHARDO NOODT

Anteceſſori, cum ex Franekeranà Academia in celebrem TRAJECTINAM, quæ ad RHENUM eſt, diſcederet.

Dum populoſa tuos, TRAJECTUM *cerno triumphos,*
Atque abigi noſtræ pignora cara togæ;
Hæſito, num ſacræ liceat decus addere pompæ,
Et Tecum feſtos concelebrare dies:
Luget enim raptum, quo tu RHENANA *ſuperbis*
MUSA, *Virum madidis* FRISIA *noſtra genis.*
Luget ATHENÆUM FRANICUM, *precibuſque relictis,*
Siccine, ait, Matrem, *ſiccine,* Gnate, *fugis?*
Sunt mihi divitiæ; ſunt præmia; ſunt & honores,
Quid fugis, & vacuo me facis eſſe ſinu?
Heu! quotiens NOTI *tua terſæ oracula linguæ*
Obſtupui? juvenes obſtupuere chori?

At,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

At, ſi, Diva, tuos lacrymæ decorare triumphos
  Poſſunt; en noſtri ſigna doloris habe.
Et, credo, poterunt; etenim quis NOTIUS hic ſit,
  Significat noſter mixtus amore dolor.
NOTIUS, ad veterem ſpeciem quem vivida finxit
  Natura egregium membra latuſque Virum.
Quem ſi neſcires Gelrum; genuiſſe putares
  Romam: Nam toto pectore Roma ſedet.
Huic os Roma dedit, ſacrataque noſcere jura;
  Huic dedit auguſti jurgia ſcire fori.
Hic dignus, qui, dum ſapientia priſca labaſcit,
  Exponat Veterum ſancta Reſcripta ſenum.
Qui doceat Legum venerando ex corpore Leges,
  Tollat & indoctæ turpia menda manus:
Qui ſequitur Fabros, & ſummi ſcripta Cujaci:
  Hoc demum gaude, Papiniane, Viro.
Hunc igitur tantum, quem ſecula ſera ſtupebunt,
  TRAJECTINA, Tibi, gratulor Alma Virum.
Hunc quod habes, gaude; ſed erunt tua gaudia juſta,
  Si tu, nunc quod habes, Alma, tenere queas.

C. VITRINGA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 110